



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

VIII. De Emptione & Venditione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

QUESTIO VIII.

De Emptione & Venditione.

86. **C**ONCL. I. *Emptio est pactio pretij pro merce : Venditio* Emptio, & Venditio, quid?
 econtrà est pactio mercis pro pretio. Ita communis, & desumitur ex §. 1. *Instit. de Emptione.* Tria siquidem ad substantiam Emptionis & Venditionis requiruntur. Primò res, quæ veniat, sive ea nunc existat, ut equus, vacca; sive sit futura, ut fructus nascituri; item jura & actiones: nam hæc omnia nomine mercis, seu rei venalis, intelliguntur. Secundò requiritur pretium; nam sine pretio Venditio nulla est: debetque simul pretium in numerata pecunia consistere; alioquin enim non Venditio & Emptio, sed rerum Permutatio foret. Tandem ad Venditionem & Emptionem requiritur pactio; id est, ut in rem vendendam, & pretium pro ea præstandum, venditor & emptor consentiant.

87. **C**ONCL. II. Pretium rerum generatim est duplex; Pretium rerum duplex, legitimum, & vulgare.
 unum legitimum, quod scilicet à Magistratu est taxatum; alterum vulgare, quod ex valore rei plurimum iudicio dependet. Ita rursus communis.

88. **C**ONCL. III. Ex his pretium legitimum consistit in indivisibili, nec licet illud præterire. Pretium legitimum consistit in indivisibili
 Ratio est: quia hoc est censendum verum rei pretium, quod à Magistratu definitum est, ne excedatur; simulque iudicium Magistratus, qui autoritate publicâ, & boni communis intuitu, tale pretium constituit, est præferendum iudicio populari. Intellige, dummodò mutatis circumstantiis copiæ, inopiæ, & similibus, Magistratus non sit notabiliter negligens in pretio legitimo mutando; nam alioquin lex censeretur iniqua, & posset res vendi pretio vulgari. *Lessius lib. 2. cap. 21. n. 14. & alij.*

89. Pretium vulgare econtrà non consistit in indivisibili, Pretium vulgare triplex, summum, medium, & infimum.
 sed habet quandam latitudinem. Hinc fit, ut pretium vulgare juxta Doctores communiter sit triplex, videlicet summum, medium, & infimum. Siquidem pretium vulgare plurimum pendet ab æstimatione & affectu hominum, qui subinde varij de rebus variè judicant, & quod aliqui æstimant novem florenis, alij æstimant decem, alij undecim.

90. **C**ONCL. IV. Loquendo de pretio rerum vulgari, generatim justum mercis pretium est, quod loci consuetudo approbat. Pretij vulgaris justum pro-

ria, unde desumenda? probat secundum communem hominum æstimationem: quæ quidem æstimatio desumitur ex abundantia vel penuria illius mercis, atque ordinariâ acquirendi facilitate aut difficultate, utilitate vel usu, aliisque hujusmodi circumstantiis. Ita in re communis. Hinc

Corollarium. 91. Inferunt Doctores, quos citat, & sequitur Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 17. num. 9.* eum nihil contra Justitiam peccare, qui frumentum pretio consueto vendit, conscius brevi tempore superventuram frumenti copiam, vel hostium incurSIONem, aut hujusmodi, si hæ causæ minuendi pretij publicè ignorentur. Ratio est: quia rerum pretia non ex privata unius, aut alterius hominis notitiâ vel affectione, sed ex communi hominum æstimatione ac sensu accipienda sunt. Idem de similibus dicendum.

Causæ mutandi pretia rerum. 92. CONCL. V. Variæ sunt causæ, ob quas rerum vœnalium pretia augeri, vel minui solent. Ita communis. Sic enim passim penuria mercium, multitudo emptorum, & paucitas vendentium, auget rerum pretia: ac econtrâ mercium abundantia, multitudo vendentium, & paucitas emptorum minuit pretia. Hinc in transitu alicujus Principis cum magno comitatu, rerum pretia accrescere solent; in fine autem Nundinarum, dilapsis emptoribus, merces viliùs emuntur: idem fit tempore pestis, & post partam ab hostibus victoriam.

Corollarium. 93. Similiter merces, quæ sub hasta venduntur, minoris æstimari solent, quàm quæ in propria Officina quærentur, & rogantur. Item merces, quæ per partes venduntur, carius distrahantur ob majorem molestiam, minùsque lucrum, quàm quæ in magna quantitate. Sic etiam ob singularem affectionem, aut commoditatem, quam venditor ex re vendita habet, eaque in gratiam emptoris se spoliat, potest res carius vendi: & econtrâ, si emptori commodum non sit emere, sed à venditore rogetur, ob hanc circumstantiam aliquantulum minuitur pretium mercis.

Ratione officij mercandi potest res pluris vendi. 94. Tandem, ut taceantur plures alij tituli variandi pretia rerum, licitum est rem pluris vendere ratione officij mercandi: sic enim mercatores possunt paulò pluris vendere, quàm ab alijs vendi solcat, qui non ex officio, sed ex occasione aliquid vendunt. Ratio est: quia pretio est æstimabile, quòd illi ex officio curas, laboresque in rebus conquirendis, conservandis, & distrahendis assidue impendant, & quidem cum periculo, ne aliqua merces tractu temporis ipsis pereant.

95. CONCL.

95. CONCL. VI. In Foro conscientie omnis Venditio & Emptio, in qua latitudo iusti pretij exceditur, est iniqua, & lædens alterum tenetur ad restitutionem; nisi læsio sit valde modica, aut liberalis datio vel remissio ejus, qui deceptus fuit, saltem præsumpta accesserit. Ita D. Augustinus lib. 13. de Trinit. c. 3. estque communis Doctorum: id enim exigit iustitia commutativa, quæ in contractibus vult servari æqualitatem.

Pro Foro Conscientie qualiter læsio in Emptione & Venditione refacienda.

96. Dicitur, in Foro conscientie. Quia in Foro externo, ob multitudinem litium evitandam non succurritur alicui, nisi supra dimidium iusti pretij deceptus fuerit; nam tunc primum conceditur Actio venditori contra emptorem, ut vel rem emptam restituat, vel id, quod deest iusto pretio, suppleat; prout habetur l. Rem majoris. C. De rescindenda vendit. juncto c. Cum dilecti. & c. Cum causa, de Emptione.

Secus pro Foro externo.

97. Dicitur ulterius, nisi læsio sit valde modica: nam tunc non tenetur quis ad restitutionem, ob levitatem materie. Quinimò, quia durum est inter homines, in contractibus semper observare exactissimam iustitiam; simulque modus commutantium quasi fundatus sit supra illud Legis nature, Quod tibi vis fieri, hoc alteri facias: hinc Doctor Subtilis in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 2. notat, fermè omnem contractum concomitari aliquam donationem; & mox subiungit, satis probabile esse, quod quando contrahentes sunt mutuo contenti, mutuo volunt sibi remittere, si secundum aliquid deficiunt ab illa iustitia requisita. Et hanc doctrinam communiter recipiunt Doctores, ac ex ea Layman loc. cit. n. 6. format hanc Regulam: In dubio est estimandum, quod contrahentes invicem remittere & condonare velint, si in contractu inæqualitas modica, & non admodum notabilis accidat.

Aur si læsio sit modica.

98. Secus est dicendum, si est notabilis inæqualitas: tunc enim non est præsumenda donatio, vel remissio, nisi ex circumstantiis de liberali donatione, aut ultronca remissione, possit sumi conjectura: ut si emptor cognatus sit venditoris, & alias benè facere solitus; aut si læsio facilè potuit deprehendi, & hujusmodi.

Aur aliud ex circumstantiis colligatur.

99. Quæres, quomodo intelligendum sit illud commune dictum, Restanti valet, quanti vendi potest? Et illud, quod habetur l. in causa cognitione. ff. de Minoribus, ubi dicitur, in pretio emptio nis & venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire? Resp. cum comuni, hujusmodi dicta intelligenda esse de circumventio-

Res tanti valet, quanti vendi potest. quomodo?

ventione intra limites iusti pretij, seu iustæ æstimationis: quia iusticia pretij non consistit in indivisibili.

Invitus regulariter cogi non potest ad vendendum.

100. Quæres ulterius, an quis invitus cogi possit ad vendendum rem suam? Resp. cum communi, id regulariter loquendo fieri non posse. Ratio est: quia quilibet est dominus rei suæ, sicque de ea disponere potest pro libitu, vel eam retinere, prout sibi placuerit.

Fallit in casu publicæ necessitatis.

101. Dicitur, *regulariter loquendo*: nam sunt excipiendi aliqui casus, in quibus etiam invitus cogitur vendere rem suam. Primò quidem, in casu publicæ necessitatis: sic enim, si publica urgeat necessitas, v. g. tempore inopiæ frumenti, aut aliorum victualium ad usum quotidianum requisitorum, possunt iusto per Magistratum taxato pretio subditi cogi ad vendendum ejusmodi res pro sublevanda publica necessitate.

Atque ob publicum favorem.

102. Secundo, ob publicum etiam favorem cogitur quis vendere rem suam: sic quippe, si domus v. g. vel fundus privatorum personarum necessarius sit ad constructionem, vel ampliationem Civitatis, vel viæ publicæ, aut Principis Palatii, sive Templi, Monasterij, Collegij, vel etiam Hospitalis, cogitur quis ejusmodi domum, vel fundum taliter necessarium, iusto pretio vendere. Siquidem in hujusmodi casibus favor publicæ utilitatis, vel necessitatis, præponderare debet privatis commodis. Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 17. §. 5. n. 4.* & alij.

Q U Æ S T I O IX.

De Ludo, & Sponsionibus.

Ludus dupliciter accipitur.

103. **Q**uantum ad primum attinet, Ludus dupliciter accipitur. I. Pro dictis, vel factis, ad oblectationem animi destinatis. II. Pro contractu, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit. Et in isto posteriori sensu hic de Ludo agitur.

Ludus Contractus, an licitus?

104. **C**ONCL. I. Ludus contractus Jure naturæ est licitus, dummodò debitæ conditiones adsint. Ita communis. Ratio est: quia sicut in potestate cujuslibet est, rem suam alteri donare absolute, ita etiam in alterum transferre sub quapiam conditione, sive ea fortuita sit, sive ex intentione pendeat. Quinimò si Ludus debito modo instituat, erit actus duarum virtutum, Justitiæ videlicet, ac Eutrapeliæ; simulque utilis esse potest